

minere, si non per ordinatam, tamen per absolutam potenti-
am, non obstante, quod solâ ordinatâ utatur potentiâ in
salvandis hominibus, inde enim hoc saltim sequitur, DEUM
non absolutè, sed sub conditione salutem hominum velle.

§. 78. Postea id obstare videtur, quod hâc distinctione
pugna inducatur inter duas DEI voluntates. Resp. negando
ullam esse pugnam inter voluntatem antecedentem & con-
sequentem. Nam ut inter actus voluntatis sit pugna, requi-
ritur, ut habeant idem objectum eodem modô considera-
tum, ita ut voluntas illud velle simul & non velle dicatur,
sic actus propriè erunt pugnantes e. gr. talis pugna inter vo-
luntatis actus esset, si iudex homicidam propter idem homi-
cidium sub iisdem circumstantiis spectatum vellet simul ca-
pite plecti & non capite plecti, vel si DEUS vellet hominem
credentem salvari, & eundem non salvari. At verò volun-
tas antecedens & consequens licet habeant idem objectum,
nempe hominum salutem, non tamen objectum illud
spectatur eodem modô. Antecedens enim circa illum ver-
satur absolutè, vel ut alii explicant, quatenus DEUS omni-
bus ordinavit media ad salutem; consequens autem aliô mo-
dô versatur circa hominum salutem, quando scil. homines
media ad salutem ordinata admittunt, quâ ratione nulla est
pugna.

§. 79. Denique objiciunt, quod h. m. statuatur voluntati
divinæ posse resisti, cum tamen Rom. 9. negetur, voluntati
divinæ resisti posse. Resp. absurdum non esse Voluntati di-
vinæ non quidem absolutæ sed ordinatæ seu quæ vult aliquid
secundum ordinatam potentiâ agere, resisti posse; vult
enim DEUS ordinatâ potentiâ hominem conver-
tere, huic autem voluntati potest homo re-
sistere, ut non convertatur.

F I N I S.

os os

Alt. diss. A. Sch. 1754